

461

459

465

455

470

450

510

410

560

360

Ende

Anfang

450

et vario loquuntur idiomate omnemque linguam faciliter addiscere possunt, non solum hominum sed avium et bestiarum grunniens et cantus formare norunt, et quod his rarius est, una parte linguae loquuntur uni et eodem tempore altera parte loquuntur alteri, et isti natura largiente flexibiliorem habent Teutonicis linguam, sed nulli alii totius mundi, ut saepe multis exemplis probavi.

Ideo cum gudio posttergavimus castrum praefatum, cum autem aliquantulum elongati essemus, et illi custodes in muris more suo post nos clamarent: Marco, Marco, ad designandum S. Marci regimen ibi esse, vertit se ad eos juvenis mercator, et reclamavit, dicens: Galabria, Galabria, et haec clamans aufugit repente cum equo nosque fugere hortabatur, ne aliquem bombarda caederent, quia tunc temporis dux Calabriae cum Venetis bellum habebat, et caeteri Italorum praefecti; fugimus ergo et male contenti fuimus de juvne, quod sine necessitate posuit nos in periculum, quia poterant nos cum bombardis tangere, vel nos cum armis insequi et turbare, si voluissent. Ascendimus ergo consequenter per occurrentes nobis aquas, per viam aquosam, lapidosam et taediosam, et ad solitarium hospitium venimus, quod nominant ad lapidem cavum, zum Holenstein, et dimissis equis extra ingressi sumus domum ad calefaciendum nos, quia frigus erat et reperimus omnem familiam et pueros nostra loquentes lingua, ignaros Italicae linguae, ac si XL millaria ab eis essent divisi. Cum magna delectatione conversatus fui pueris, pro eo, quod libenter eos audivi Teutonice loquentes. Domus illa stat in solitudine, et nec ante se nec post se in tribus milliaribus Teutonicis est aliqua habitatio, quia vallis illa arenosa est et sterilis, et compertum est, multos ante hospitii illius aedificationem in hoc medio periisse noctibus propter frigus vel sitim. Ido fuit domus illa ibi pro refugio viantium posita. Dicitur autem ad lapidem cavum, quia juxta eam est mons petrosus, in cuius imo est rupis paries cava et superpendet petrae minax, et in ea caverna habet hospes oves suas sine alio aedificio bene protectas a nive et pluvia. Reduxit hoc antrum mihi in memoriam antrum loci Aventini furis (225 a), qui boves Herculis furatus eos caudis traxit in antrum suum, ut veniente Hercule non posset vestigiis aversis eos invenire; sed mugientibus bobus in antro esse deprehendit et veniens Cacum occidit et boves reduxit." Locus hujus hospitii est in altissima

